

„Episcopus de Dominicis praedecessor meus recolendae memoriae supplicem porrexit libellum ut sibi fas esset augere eleemosynam missarum tum manualium tum perpetuarum beneficiis seu ecclesiis locisve piis ex legato aut alia dispositione inhaerentium. Et en rescriptum:

Ex audientia SSmi die 19. Augusti 1801 SSmus attentis expositis circumstantiis remisit preces ad eundem Episcopum oratorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ut eleemosynas missarum tam manuales quam alias, quae ecclesiasticorum beneficiorum seu quorumcumque piorum legatorum oneribus sunt adnexae, pro suo arbitrio et conscientia augere possit et valeat. Quibuscumque contrariis non obstantibus. J. B. Quarantotti. S. C. Visitationis Apostolicae pro-secretarius.“

„His utendo facultatibus praefatus Episcopus decernebat ut stipendia sive eleemosynae pro missarum celebratione, quae manuales dicuntur, ad obolos quindecim romanos, et pro missis perpetuis adnexis beneficiis sive quibusque piis legatis ad obolos viginti auferentur. Ne vero hac eleemosynarum auctione beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, permisit, sunt verba decreti,

Ut missae sive pro beneficiis sive pro legatis piis minuantur adeo, ut interim tot relictas sive impositas habeantur, quot solum earumdem exceperit medietatem. Atque hinc declaramus ipsam eleemosynarum auctorem et missarum reductionem ad medietatem ut supra quoad manuales a die prima Octobris currentis anni solummodo esse exordiendam, quoad vero onera perpetua nisi postquam a beneficiatis, capellanis et legatariis fuerint exhibita in nostris cancellariis generalibus nova jurata inventaria legalia ... Quae omnia tamdiu servari vo-

lunt tamdiu decretum hoc nostrum sive per nos sive per successores nostros expresse fuerit revocatum. Datum in Civitate Castellanae die 1. Septembris 1801. — Laurentius, Episcopus.“

„Hoc suffultae decreto innumerae fere reductiones ad medietatem extierunt, nedum in longo praesulatu ejusdem Episcopi De Dominicis, verum etiam successorum usque ad haec tempora. Putant enim quod sufficiat exhibere juratum inventarium ad hoc ut missarum numerus a testatoribus praestitutus ad medietatem redigatur, quia tunc unius julii stipendium erat, nunc duplicatum appareat. An valeant hujusmodi reductiones vel saltem nunc fieri possint ex praedicto decreto, a sapientia vestra, Emi Patres, enixe rogo, pro meae aliorumque conscientiae tranquillitate, ut resolvatur.“

Quum ex apostolica concessione facultas data fuerit Episcopo De Dominicis augendi eleemosynas missarum tam manualium quam beneficiis et piis legatis perpetuo inhaerentium, et ratio augmenti ejus arbitrio et prudentiae tota permissa extiterit, haud inficiandum videtur quin ipse jure sibi delegato usus rite sit augendo eleemosynas missarum ad quindecim obolos pro manualibus, et duplo ejus quod antea percipi consueverat pro missis inhaerentibus vel beneficiis vel piis legatis quibuscumque, atque insuper praescribendo modum quo beneficiati vel legatarii hujusmodi indulto uti valerent, exhibito scilicet legali jurato inventario apud acta episcopalis cancellariae. Ex quo vero augmentum eleemosynae concessum fuerat, necesse plane proportionabiliter reducerentur etiam onera missarum, ne scilicet beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, quibus hujusmodi onerum satisfactio incumberet. Itaque, ubi haec consistant, consequitur rite peractas

fuisse hucusque reductiones ac rite in posterum fieri posse pro iis legatis ac beneficiis, in quibus hactenus reductio sequuta non fuerit, ad rationem scilicet augmenti eleemosynae in episcopali decreto praescripti.

Caeterum cum Episcopus excesserit in usu concessae facultatis vel alia praescribenda sit norma in futuris perficiendis reductionibus quoad antiqua legata et onera missarum, super quibus quaestio moveri unica potest, judicabunt EE. VV.

Quare etc. Sacra etc. resp.: *Servandum esse decretum diei 1. Septembris 1801 tam pro reductionibus peractis quam pro peragendis, dummodo agatur de beneficiis seu legatis existentibus ante ejusdem decreti promulgationem.* Die 28. Aprilis 1860. (Anal. J. P. 1861, p. 609.)

Ob auctum servitium Chori aucta quoque fuit in Bononien. ad obolos 30 eleemosyna canonicalium Missarum ex reditu in alias Missas destinata.

(Ex resol. S. C. C. diei 26. Sept. 1795. *Faventina.*)

Qui sentit celebrationis commodum, sentire debere videretur majoris eleemosynae incommodum, *per Text. in leg. secundum naturam 1. ff. de regul. jur.*

(Ex res. S. C. C. diei 19. Decbr. 1795. *Caesenaten.*)

Erit examinandum, an, attenta maxima Missarum manualium copia, nullus inveniri Sacerdos possit, qui pro hac eleemosyna Sacrum celebret praesertim quoad illa duodecim die 3. Julii celebranda, et hinc augenda sint ultra manuales, ut definitum fuit ab hac Sacra Congregatione in *Syracusana* Missarum 10. Martii 1759. quoad I. dubium sic conceptum: *An sit locus reductioni Missarum et respective*

*augumento eleemosynae, et qua quantitate in casu?* — Cui fuit responsum: *Affirmative pro reductione et pro augmento arbitrio Episcopi.*

(Ex resol. S. C. C. diei 16. Mart. 1782. *Anconitana.*)

Neapolitana.

(Conc. Trid. C. 4. Sess. 25. De ref.)

Carolus de Baldeis in novissimo, cum quo decessit, elogio anno 1669 omnes reditus et introitus ipsi debitos ex fisci vectigalibus seu regis arrendamentis olei et saponis in pia opera erogari per heredem mandavit nempe pro duabus Capellanis erigendis in ecclesia s. Joan. Nationis florentinae Neapoli existente cum onere capellanis celebrare missam quotidianam et cum emolumento seu salario per haerodem concordando; residuum in dotes et celebrationem missarum expendi voluit hoc tamen servato ordine (operae pretium erit testatoris verba referre), „e sodisfatti li detti due sacerdoti ordina d. testatore, che col restante delle rendite si diano due dote di scudi venti l'una etc., e sodisfatte le dette officature et dette due doti ordina, che d'ogni restante delle rendite si facciano celebrare ogni anno tante messe di requie etc. Gubernatori arrendamenti et consuli nationis Florentinae delegavit jus nominandi unum pro quolibet capellanum unamque dotem conferendi. Anno 1621 in erectione dd. Capellanarum a vicario generali Neapolis taxata fuit dos cujuslibet capellaniae in ducatis annuis 65 et residuum reliquis piis operibus assignatum; verum diminutis ex temporum infortuniis redditibus ita ut neque attingerent summam debitam capellanis, sac. haec Congregatio die 22. Septembris 1708 decrevit reductionem faciendam esse ad manuales ad instantiam gubernatorum d. arrendamenti, pro cujus decreti executione



sub die 9. Aprilis 1709 per curiam archiepiscopalem facta fuit reductio ad rationem granorum duodecim cum dimidio pro eleemosyna cujuslibet missae incluso jure sacristiae. Auctis autem ex post redditibus, ita ut dimissis capellanis cum manuali eleemosyna ducatorum 45 superessent ducati octuaginta, Dominicus Matuscellus unus ex capellanis die 26. Januarii 1715 obtinuit ab EE. VV. relatis per summarium ejus precibus sequens decretum „*Augeatur redditus capellaniarum juxta primam assignationem et quantum ulterius augeatur, servetur voluntas testatoris quoad subsidia dotalia*“. Gubernatores arrendamenti cum praetendant manualementem tantum eleemosynam debitam esse capellanis et omnia pia legata per contributa reducenda, hinc monito procuratore Matuscelli sequentis dubii decisionem ab EE. VV. exorant:

*An augmentum reddituum capellaniae, de qua agitur, ad rationem ducatorum 65 quolibet anno juxta primam assignationem substineatur seu potius servanda sit reductio eleemosynae ducatorum 45 seu granorum 12 cum dimidio pro qualibet missa?*

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Die 2. et 16. Maii 1716.

Iterum proposito dubio S. C. C. sub die 3. Oct. 1716 resp.:

*In Decisis facta tamen erogatione in fine cujuslibet anni de eo, quod superest ultra summam ducatorum 65, in causam dotium et missarum de requie ad formam testamenti et in quocumque casu deminutionis semper celebrentur missae saltem ad manualementem.*

Urbis.

Exhibitus fuit SSmo Domino nostro supplex libellus, in quo pauperes sa-

cerdotes, qui ut plurimum vivunt ex eleemosyna missae, instant ut eleemosyna missae manualis, quae in urbe est ad rationem unius julii pro qualibet missa, augeatur. Cumque a Sanctitate Sua preces fuerint remissae ad hanc sacram congregationem, et eminentissimus urbis Vicarius remissive se habeat ad id, quod ab hac sacra congregatione determinabitur, disputandum in praesenti proponitur dubium mox referendum. Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit pro instantia, et nonnulla contra instantiam, quibus solita maturitate perpensis dignabuntur EE. VV. discernere.

*An et in qua quantitate eleemosyna manualis missae augenda sit in urbe in casu?*

S. C. C. resp.: Nihil esse innovandum et ad mentem.

Die 13. Apr. 1726.

*Discursus Secretarii, in quo referuntur fundamenta tam pro quam contra instantiam promotam de augmento eleemosynae missae manualis in Urbe.*

Nonnulla sunt praemittenda: primum est, antiquum esse morem offerendi denarium pro missa. Caeteris etenim praetermissis Joannes monachus in vita S. Petri Damiani haec habet cap. 2 de eodem Petro adhuc puero: „*Petrus quadam die nummum reperit, et tanquam subito dives effectus gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere caepit; divinitus tandem inspiratus ait: melius est, ut tradam presbytero, qui Deo sacrificium offerat pro patre meo defuncto.*“ Et quod caput est, fidelis populi ad sacrificium oblatio est antiquissima et ab ipsis apostolis instituta, ut habetur ex Justino Martyre, Tertulliano et aliis vetustissimis patribus; cumque haec oblatio consisteret in pane et larga vini amphora, quorum solummodo modica pars consecratur et reliqua massa in

commodum sacerdotis et cleri cedebat, variatio temporum et circumstantiarum suasit, ut dicta oblatio in denarios mutaretur, et quia devotionem hanc avaritia laicorum diminuerat aut prope modum extinxerat, opus fuit, ut episcopi taxarent missae denarium, uti erudite ostendit *Christianus Lupus* ad concilia generalia et provincialia tomo 3. editionis Bruxellensis, pag. mihi 182 et seq.

Secundum est, quod licet a sacrosancta Tridentina Synodo prohibeantur cujusvis generis condiciones et pacta pro missis celebrandis, uti habetur sessione 23. in decret. de observandis et vitandis in missae celebratione, licitum nihilominus est sacerdoti pecuniam recipere pro missa, non quasi pretium missae sed in causam suae sustentationis, juxta doctrinam divi Thomae Secunda Secundae quaest. 190 art. 2. ad secundum; ibi: „*Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis eucharistiae aut missae decantandae; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis*“, et rursus in quartum sentent. dist. 25 quaest. 3 art. 2. quaestiuicula prima ad quartum; ibi: „*facere pactionem de missa celebranda est simoniacum semper, si tamen non habeat alios sumptus, et non tenetur ex officio missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti sacerdotes faciunt, non quasi pretium missae, sed quasi sustentamentum vitae*“, quod ipsum prosequuntur Theologi recentiores; *Cardinalis de Lugo* de sacram. eucharistiae disput. 22. sect. I. num. 13; *Pasqualig.* novae legis quaest. 903 num. 5; *Maurus* in theolog. tom. 3 lib. 12. quaest. 218 n. 4; *Grandin.* in theolog. tom. 5 disput. 2 de eucharistia ut sacrificium sect. proxima de stipendio num. I.

Tertium est, communiori calculo reprobata esse opinionem illorum, qui voluerunt, justam pro missa eleemo-

*synam esse illam, quae requiritur, ut sacerdos celebrans die celebrationis vivere possit, tum quia inutilis esset sacrorum canonum dispositio, quae praescribit, ut nemo ordinari possit nisi ad titulum beneficii vel patrimonii, uti argumentatur Gibelin.* de simonia quaest. 18 consec. 7, n. 4, tum quia per alia media honesta potest sacerdos celebrans sibi quaerere victum qualibet die, uti bene ponderat *Suarez* in tertiam partem divi Thomae tom. 3 disput. 86 art. 6 sect. 2 conclus. 3; ibi: „*quia sacerdos non tantum habet hoc ministerium, sed etiam exercet alias actiones sacras, ratione quarum potest aliquid in sustentationem recipere ex fidelium largitionibus vel aliis ecclesiasticis redditibus*“, et late prosequuntur *La Croix* in theolog. moral. tom. 2. par. 2 de sacrific. miss. num. 126; *Rosignol.* de eucharist. tom. 15. quaest. 12. art. I dissert. 3. num. 11 et seq.; *Diana* in edit. coordinata tom. 2. tract. I. resolut. 22. num. 17. Adeoque bene subdit *Juennin.* de sacram. dissert. 5. quaest. 7., de sacrificio eucharistiae art. 5; ibi: „*Sed monitum velim lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quae illud stipendium definit ex summa, quae satis sit sacerdotis in unam diem sustentationi, ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram presbyteri sustentationem sed ad illius adminiculum; nec mirum, quippe quod saeculares sacerdotes fruuntur aut titulis patrimonialibus aut beneficiis quae teneant eorum locum, vetant nempe canones, ne saeculares ordinentur, quin suffulti ad vitam titulo, mendicantes vero a populo fidei supponuntur recipere eleemosynas, quibus vescantur, nec enim ad monasterium admitti debent plures, quam consuetae eleemosynae sustentare valeant.*“

Quartum est, quantitatem eleemosynae et justam ejus taxam desumendam esse vel a communi consuetudine, quae



vigeat in diocesi, vel a lege synodali aut a decreto episcopi, uti docent Suarez in tertiam partem divi Thomae tom. 3. quaest. 80. sect. 2 in prima et secunda conclusione; Maurus tom. 3. loco citato num. 8; Rosignol. de eucharistia tom. 15. quaest. 12. de stipendio missae art. 3. num. 5; Bonacin. oper. moral. tom. I. disput. 4. de sacram. eucharist. punct. 8. proposit. 2. num. 8; Tamburin. de sacrif. missae lib. 3. cap. 1. num. 2; et est sententia hujus sacrae Congregationis, quae die 15. Novembris 1698 lib. 48. decret. pag. 548. in causa Aprutina ita respondit: „Episcopus disputanda proposuit haec dubia: primo, quanta esse debeat eleemosyna missarum manualium? Secundo, quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus? Sacra etc. ad primum et secundum censuit: attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus, statuendam esse per episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.“

Taxataque per consuetudinem localem vel legem synodalem aut episcopi decretum eleemosyna id operatur ut sacerdotes plus exigere non possint aut accipere, praecedente pacto implicito vel explicito, sed non facit, ut ampliore eleemosynam sibi sponte oblatam acceptare non possint. Cardinalis de Lugo resp. moral. lib. 5. dub. 18; Pelizzar. in manual. regul. tom. 1. tract. 5. cap. 9. num. 56; Bonacin. operum moral. tom. 1. de sacram. eucharistiae disput. 4. quaest. ultima punct. 8. proposit. 2. n. 9 et seq. Fuitque resolutum ab hac sacra congregatione in in causa Pistorien. 16. Januarii 1649 lib. 18. decret. pag. 575 a tergo, proposito enim sequenti dubio: „an possit episcopus prohibere sub poena censurarum laicis, ne pinguius stipendium taxa solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus missam celebrantibus et quod idem sacerdotes

illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus“, sacra congregatio respondit: prohibere non posse, ideoque moderandum decretum, ita ut sola difficultas consistat in puncto: an ordinarius statuere valeat, quod sacerdotes pro missa non recipiant quid minus eleemosyna taxata, in quo nonnulli negative responderant, Gaballin. de simonia quaest. 18. sect. 7. sub num. 5; Azor. institut. moral. part. 3. lib. 12, cap. 6. in fine; alii affirmative respondent concurrentibus circumstantiis, uti habetur apud Pasqualig. de sacrif. missae quaest. 928. num. 3. et seq.; et adhaesit haec sacra Congregatio in S. Severini eleemosynae missarum 16. Julii 1689; ibi: „Episcopus narrat, sacrosanctum missae sacrificium quodammodo vilescere, dum sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae, dimidii julii pro qualibet missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualis unius integri julii pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate? Sacra etc. respondit: affirmative quoad eleemosynam manualementem.“

Ultimum tandem est, quod in taxatione eleemosynae habenda est ratio circumstantiarum loci et temporis, et signanter caritatis vel vilitatis annonae, uti caeteris allegatis prosequitur Pasqualig. quaest. S25; ibi: Stipendium datur propter sustentationem, licet non totalem, ergo debet esse proportionatum illi partiali sustentationi, pro qua datur, itaut sufficiens sit pro illa comparanda. Ergo ubi victualia pluris vaeneunt, requiritur majus stipendium, ut possint comparari, et ubi minoris vaeneunt, sufficit minus stipendium“, et confert resolutio hujus sacrae Congregationis in Nullius Lerenae 7. Decemb. 1675 lib. 29. decret. pag. 178. a tergo; ibi: „Clerus stante augmento pretii rerum pro victu necessariorum

petit augmentum etiam eleemosynae missarum. Sacra etc. audita relatione Prioris Lerenae S. Jacobi de Spatha in provincia Legionensi eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis pro missis perpetuis in posterum fundandis taxam eleemosynae augeat ad octo regalia monetae nuncupatae di Villon, pro missis autem manualibus ad quatuor. Et perspectis tabellis, foundationibus, testamentis aliisque documentis et vocatis, qui fuerint vocandi, onera hactenus acceptata vel fundata gratis moderetur atque reducat ad rationem quatuor regalium pro qualibet missa; ita tamen, ut si redditus augeantur vel causae augmenti taxae hujusmodi cessent, augeatur proportionabiliter numerus ipse missarum, quod in actu visitationis praesertim erit inspiciendum.“

His praemissis facit pro augmento eleemosynae manualis missae in urbe, quod si ex supradictis datur eleemosyna pro partiali sustentatione sacerdotis missam celebrantis, si pariter ex supradictis justitia taxae constituitur in circumstantiis loci et temporis, et signanter in majori vel minori pretio rerum pro sustentatione necessariorum, nemo est qui non videat, justum unum pro qualibet missa non constituere posse in urbe partialem sustentationem sacerdotis celebrantis, et eo fortius, cum eleemosyna missarum in civitate Viennae sit obolorum viginti quinque, in civitate Mediolanensi diebus ferialibus sit unius julii et tertiae partis ejusdem julii, et diebus festis quantitas praedicta duplicetur; et in civitate Venetiarum sit in julio uno cum dimidio diebus ferialibus, et diebus festis augmentum suscipiat, et demum in civitatibus Bononiae et Ferrariae memorata eleemosyna sit in duodecim obolis, et Ferrariae in quindecim obolis diebus festis, quae profecto exempla suadent esse posse locum petito augmento in

Urbe, in qua absque dubio annona carior est quam in praedictis aliis civitatibus, et ad quam tot exteri confluent miserabiles sacerdotes, qui vivunt cum sola eleemosyna missae et carent beneficio et patrimonio aut propter passa infortunia aut ex aliis causis, quae etiam si culposae essent, id tamen non facit, quin eis succurrendum sit, ne in dedecus characteris sacerdotalis ad mendicitatem redigantur.

Plura contra sunt, quae suadent, locum esse non posse petito augmento eleemosynae missae. Primum est, quod a qualibet novitate cavendum esse videtur. Secundum est, quod eo fortius a novitate cavendum est, quando eadem viam aperire posset diceriis laicorum, prout contingeret in casu, de quo nunc agitur, in quo laici augmentum referrent ad avaritiam. Tertium est, quod victualia Romae non sunt in pretio excessivo, si tractetur de victualibus necessariis et non voluptuosis. Quartum est, quod a tempore, quo introducta fuit taxa unius julii pro missa ad tempus praesens, ignoratur, quod ulla contigerit variatio pretii in victualibus, qua variatione deficiente etiam juxta supradicta cessat augmentum eleemosynae. Quintum est, quod experientia teste aut quia calamitates temporum excreverunt aut quia fidelium devotio decrevit, minor hodie est in Urbe numerus missarum manualium, quam esset annis praeteritis, et incongruum profecto esset, quod decrescente numero missarum manualium auferetur eleemosyna earumdem. Sextum est, quod abundantia missarum manualium in urbe ut plurimum provenit ex obitu magnatum, qui conspicuum numerum missarum pro suis animabus celebrandarum in testamento relinquunt, cum existiment, multiplicationem suffragiorum sibi esse maximopere profuturam, quia licet valor sacrificii ex opere operato sit infinitus in actu primo, talis tamen



non est in applicatione et in actu secundo juxta doctrinam divi Thomae in quart. sent. dist. 45. quaesi. 2. art. 4. quaestiunc. 2 et 3, parte quaesi. 79. art. 5 cum aliis, quos cumulat et sequitur *Pasqualig.* quaesi. 119 num. 4 et 5, et adhaeret *Clericat.* de sacrif. miss. decis. 33 num. 35 et seq., quo stante, si augetur eleemosyna manualium missarum, nullo negotio aut testatores aut haeredes missas relictas demandarent celebrandas aut celebrare facerent extra urbem in locis, in quibus minor est eleemosyna missae manualis. Octavum est, quod in civitate Neapolis, in regno Neapolitano, in Piceno et Umbria aliisque finitimis regionibus multi absque dubio et multi pauperes reperiuntur sacerdotes, qui auditio augmento eleemosynae in Urbe ad eam cito advenirent, ut majorem consequerentur eleemosynam ea quam habent aut unquam sunt habituri in patria sua, praetermissisque inconvenientibus, quae ex multiplicato pauperum sacerdotum numero in Urbe facile sequerentur, illud ad rem, de qua nunc agitur, magna ponderatione dignum esse videtur, quod augetur numerus sacerdotum, quando numerus missarum minoratur, aut quia minoratio causam habet a temporum infortuniis vel a tepidiori fidelium devotione seu denique ex transmissione, quae fiet, missarum extra urbem celebrandarum, quoties in urbe earum eleemosyna augeatur, juxta ea, quae in superioribus dicta sunt. Ultimum denique est, quod in nulla alia civitate possunt sacerdotes magis honestam, si velint, habere sustentationem, ultra missae eleemosynam, quam habeant in Urbe. Praetermisso quippe, quod in urbe tot degunt eminentissimi Cardinales, tot degunt illustrissimi Praesules, tot demum Magnates, quorum famulatu in officio ipsorum characteri proportionato adscribi possunt, si sint idonei,

possunt esse coadjutores parochorum et confessarii monialium, aut confessiones excipere in ecclesiis, pro quo munere adimplendo congrua non desunt salaria, si aliqualem cantus peritiam habent, plures adsunt pro his capellaniae nedum in choris Basilicarum et Collegiatarum sed etiam in choris aliarum ecclesiarum, puta Sanctissimae Trinitatis Peregrinorum, S. Jacobi Incurabilium, S. Rocchi et aliarum: si grammaticam calleant, possunt esse magistri et repetitores scholarum, si competenter scribere sciant, promptae et paratae sunt occasiones, scripturas in suis domibus exemplandi; si denique his omnibus qualitatibus careant, paedagogi esse possunt puerorum in collegiis et etiam extra collegia, et demum cum multi sint, qui ex obligatione tenentur ad faciendum missas celebrare diebus festis in ecclesiis ruralibus, si pro hac celebratione juxta morem duplicata aut etiam triplicata persolvitur eleemosyna, omnia haec aut singillatim aut collective sumpta ostendunt, quod ultra beneficium aut patrimonium, sine quo sacerdotes ordinari non possunt, ultra eleemosynam missae manualis plures alii supersunt in urbe modi, quibus sacerdotes aut totalem aut partialem possunt recipere sustentationem, ita ut locus non sit petito augmento eleemosynae sed alicui potius providentiae, quod missae in urbe celebrandae ad rationem unius julii pro qualibet extra urbem, uti fit, non transmittantur, ut celebrentur in locis, in quibus eleemosyna est julio minor, et quod *ulterius julius integer sacerdoti celebranti persolvatur*, cum in plerisque sacrariis unus obolus retineatur pro utensilibus in praedictum celebrantis contra edictum sanctae mem. Clementis XI. in ejus bullario pag. 319. Sumpta quippe hac providentia amplior erit numerus missarum manua-

lium in urbe, et sacerdotes integram habebunt manualementem.

Et haec sunt, quae pro utraque parte dici possunt, et quae operae pretium existimatum fuit EE. VV. exponere, ut prudens et de more aptum in re, de qua nunc agitur, consilium Sanctissimo praestari possit.

Die ut supra.

Faventina.

Postremis tabulis annis 1598 heredes scripsit Dianora ad Monteveteri Montem Pietatis Brixichellae, ejusque inter caetera praescripsit nominare unum Capellanum in Ecclesia S. Crucis de Brixichella ad satisfactionem Priorum et Hominum dictae Societatis, qui quotidianum ibi celebraret Sacrum; et in casu in adimplenti ex ordine substituit Sodalitiam S. S. Conceptionis et S. Mariae Hospitalis ejusdem oppidi, ultimoque loco Conventum Fratrum Praedicatorum S. Dominici Faventiac. Vix pene obita Testatrice ortae fuerunt inter heredem, et societatem S. Crucis quaestiones super electione Capellani ejusque stipendio. Res tamen sequenti anno 1599. composuerunt Arbitri, idque praesertim circa stipendium Capellani edixerunt: che debba essere di quaranta scudi di moneta l'anno, cioè lire 160. di bolognini: con questo però, che la Compagnia del Montesia tenuta a somministrare tutte le spese della cera, vino, ostie e Chierice. Laudum hoc exequutum acseritur ad annum 1791., at duo ex novissimis Capellanis annum consequuti sunt stipendium scutorum 33. (ob variatam fortasse antiquam monetam). Quum eo autem anno vacaverit Capellania et nullus post edicta comparuerit, qui eam acciperet, Sanctissimo propterea supplicavit Societas, ut Montem compelleret Pietatis ad augmentum stipendium; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, respectiva Faven-

tinus Episcopus exposuit Partium jura, et a suo abstinuit voto.

Cogi non posse contendit Mons Pietatis ad praestandum Capellano stipendium ultra summam praefinitam in Laudo anni 1599., seu scuta 33., currentis monetae. Nil enim sanctius rejudicata ad *Text. in leg. res judicata ff. de regul. jur.* Potissimum quia eum Dianora ad pium augendum ipsius opus instituit heredem, eique contra damnosa esset hereditas, si augere deberet stipendium Capellani; nam juxta informe ceteroquin folium ab ipso exhibitum consistit activus status in annuis scutis 63., passivus in scutis 61. 90. comprehenso stipendio Capellani in scutis 33. Inverisimilem de cetero dicit defectum concurrentium ad Capellaniam ob multitudinem Sacerdotum, qui a suppressa Societate Jesu Missas celebrant tenuiori stipendio.

Ponderandum altera ex parte rogat Societas, indefinite Testatricem et sine ulla assignatione fundi aut stipendii praescripsisse Monti Pietatis manutene- re unum Capellanum; ideoque incumbere eidem Monti onus praestandi stipendium illud, quod secundum varietatem temporum ad manutentionem requiritur Capellani, quodque nostra aetate majus certe est scutis 33, pro Missa quotidiana et utensilibus. Neque obesse ait Laudum anni 1599., quum praefinitum in eo fuerit stipendium demonstrative, in ea scilicet summa, quae juxta valorem tunc currentis monetae satis erat ad manutentionem Capellani, non item taxative ad excludendum augmentum stipendii, quod futura monetae varietas temporisque circumstantiae adjustam manutentionem exigent. Haud enim in se assumpsit Societas onus manutene-ndi Capellanum cum taxatis scutis 40., seu libellis 160. antiquae monetae, sed hanc Mons Pietatis demonstravit summam, ut suum onus adimpleret; eique propterea in-



cumbit vel Capellanum quaerere, qui cum antiquo celebret stipendio, vel stipendium augere, ut ad praescriptum Testatrix valeat modo manutenere unum Capellanum. Tantum vero abesse inquit Societas, quod principaliter Testatrix ad commodum respexit montis, ut eum immo in casu non implemto onerum privaverit hereditate; et nihilominus per publicum Ratiocinatorem probat, annuos hereditatis redditus ad scuta saltem ascendere 77. 52. 11., onera ad scuta 54. 44. 6., ita ut supersint quotannis scuta 23. 08. 5., ex quibus supplere tenetur haeres stipendium Capellani et Missarum legatum adimplere, per *Text. in leg. legatum est ff. de legat. secundo*. Quod re ipsa autem tales sint et fortasse majores haereditatis redditus, ex oblatione confirmatur Societatis assumendi haereditatem et onera, quatenus Mons Pietatis succedere valet juri.

*An et ad quam summam sit augendum stipendium Capellani in casu?*

S. C. resp.: Affirmative pro summa per Ordinarium praefinienda.

Die 21. Junii 1794.

Eugubina.

Procul ab Oppido Canthiani passibus quatuor millibus est pagus Claserna in Apenninis positus, cujus habitatores sub cura olim erant Prioris S. Nicolai Canthiani, Anno 1660. Episcopus Eugubinus Sperelli cum in S. Visitatione novisset quod hyemis praesertim tempore difficile est iter ad pagum, proprium Sacerdotem in Claserna constituit Priori S. Nicolai subjectum eique stipendium constituit scutorum 40, quorum viginti percipiebat a Sodalitio S. Michaëlis Archangeli in Ecclesia S. Anastasiae ejusdem pagi erecto, alia sc. viginti a familiis, quae pagum incolebant. Tenue sane stipendium, quod huic capellano rependitur, causa est, cur in vacationibus nec tam facile

Capellanus inveniatur nec inventus permanere velit. Ita sane fit, ut modernus Capellanus, qui idoneus est et Populo acceptus necessitate ductus velit curam Clasernae derelinquere. Ut ejus stipendium augeatur, cum alia deficiant media, postulat Prior S. Nicolai, ut applicetur in hanc causam Haereditas Sacerdotis Augustini Minelli. Hic qui Capellanus fuit in Pago Claserna in postremis testamenti tabulis anni 1775: volendo per l'amore, ed affetto, che ho sempre portato a a miei diletti Parrocchiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di S. Anastasia rimostrare un contrasegno di più divozione, ed a gloria di Dio — instituit Haereditatem usufructuariam Virginiam neptem suam cum onere celebrationis Missarum singulis mensibus prima die dominico, ita ut Capellanus, qui esset celebraturus sacramentales quoque confessiones exciperet, eique singulis vicibus daretur stipendium obolorum 25. Quod si Sebastianus quidam Benedetti ex suis bonis Capellaniam erigeret, tunc jussit Testator Minelli, ut bona sua haereditaria cum illis Sebastiani pro fundo Capellaniae unirentur. Quod si a Sebastiano Capellania non erigeretur, tum instituit haereditatem proprietarium Sodalitium S. Michaëlis Archangeli cum onere celebrationis triginta Missarum comprehensis illis celebrandis diebus dominicis.

A septem annis occubuit Virginea haeres usufructuaria, quae tamen paupertate laborans numquam impositam celebrationem praestavit. Neque Sebastianus Benedetti Capellaniam erexit, ut propterea bona hujusmodi nunc pertineant Sodalitio, qui petita a Priore S. Nicolai applicationi assensum praebet. Episcopus de sua sententia rogatus refert: constare de congruae insufficientia, de non obligatione alioquin ad supplementum, de impotentia Sodalitii et incolarum ad ulterius sup-

plementum, egestate premantur omnes, et illud Capitalia perdidit censuum; non aliam suppetere viam, quam indigitam a Priore supplicante, unionis videlicet et incorporationis piae haereditatis Sacerdotis Augustini Minelli. Ex ejus particula testamentaria constat pium sacerdotem in sua dispositione pro fine habuisse Dei Gloriam, Ecclesiae amorem, zelum animarum. Jam vero finis hic etiam in derogatione subsisteret, quinimmo amplificaretur. Status activus et passivus haereditatis ostendit agi de paupere Regno. Non enim annua scuta duodecim excedit haereditas ista detractis oneribus. Ex ea Clasernensis Vice-Parochus retrahet complementum Pianae Congruae scutorum quinquaginta duo.

Cum insufficientis sit stipendium Capellani Curati, qui est in pago Claserna, nec alio modo ejus paupertati consuli possit, inquirendum erit, num in hanc causam applicanda sit haereditas Minelli. Sane ex Tridentino sess. 21. cap. 3. de reform. ad sublevandam inopiam Paroeciarum fieri potest unio beneficiorum. Quamquam hic proprie de beneficio non agatur, sed de Legato pio, attamen S. Congregatio Paroeciarum tenuitate consulit etiam per applicationem Legati pii, ut in Cortonen. Applicationis Haereditatis 15. Februarii 1791, in Pisauren. Applicationis Haereditatis 23. Julii 1803 et in Asculana Paroeciae 25. Maii 1805. Praecipue cum in casu non repugnare videatur Testatoris praesumpta voluntas, qui legatum pium fecit per l'amore, ed affetto che ho sempre portato ai miei diletti Parrocchiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di s. Anastasia rimostrare un contrasegno di più divozione, ed a gloria di Dio. Quare non praetergreditur finis ab ipso sibi propositus, si erogetur ejus haereditas stipendium Ca-

pellani Curati. Neque ejus expressa voluntas derogatur, cum Missae triginta, quas celebrandas reliquit, a Parocho impleri poterant.

Dubium proponitur:

*An et quomodo sit locus applicationi in casu etc.?*

S. C. resp.: Affirmative impletis oneribus per Capellanum.

Die 26. Martii et 7. Maii 1808.

Firmana.

Dominicus Clerichetti de Oppido Molleani ita de re sua disposuit in suo postremo testamento anni 1665: Voglio, che siano miei Eredi li Sindaci dell' Ospedale di s. Michele di Mogliano pro tempore, e tutti quelli saranno eletti dall' Illustrissima Comunità di Mogliano, e suo Consiglio, come si è fatto per il passato in quella lascita dell' Ospedale con patto però che ci si abbiano da tenere dei Preti Confessori approvati dalla Comunità in perpetuo, che dicano Messa ogni giorno per l'anima mia. Duobus hisce Capellanis data singulis fuere annua scuta quadraginta scilicet scuta triginta sex pro manuali eleemosyna Missae quotidianae ad taxam, quae hactenus obtinuit obolorum decem, et scuta quatuor pro onere excipiendi sacramentales confessiones.

Cum vero anno 1800 eleemosyna manualis in Archidioecesi Firmana accreverit ab obolis duodecim cum dimidio et utensilia a scutis septem ad scuta decem, moderni Capellani Joannes Baptista Gianetti et Attilius Marchetti utrumque augmentum postularunt. Sed bona haereditatis Dominici Clerichetti retinent ex chirographo anni 1788 S. M. Pii VI. Fratres Ermengildus et Jacobus Clerichetti. Isti vero pro annuo canone sponderunt di sodisfare pianamente tutti, e singoli